gentis tue et loquar de aseneth in auribus regis et ipse dabit mihi eam in uxorem. Et ait putiphar: Vade cum pace. Et mansit ioseph apud putipharem nocte illa et non dormiuit cum aseneth quia dixit ioseph: non est fas hoc deum colenti ante nupcias iacere cum sponsa sua. Surrexitque mane et abiit ad pharaonem et dixit ei: Da mihi aseneth filiam putipharis sacerdotis heliopoleos in uxorem. Dixitque pharao ioseph: Nonne ecce coniunx illa tibi cum sit uirgo et speciosa sicut et tu decore. Tu es illa et sit tibi sponsa in eternum. Et misit pharao uocauitque putipharem et induxit aseneth stetitque illa in conspectu pharaonis. Et admiratus est pharao super pulcritudinem illius et dixit: Benedicat te dominus deus filia et permaneat pulchritudo tua in eternum quoniam iustus est dominus deus ioseph qui elegit te in sponsam eius quia ipse est filius dei et tu filia altissimi uocabis et sponsa ioseph in eternum. Et accepit pharao ioseph et aseneth et super eis coronas aureas que erant in domo eius meliores misit. Et statuit pharao aseneth ad dexteram ioseph et super posuit manus suas super capita eorum et manum dexteram eius super caput aseneth et dixit pharao: Benedicat uos dominus deus excelsus et repleat uos gratia sua et glorificet in eternum. Et conuertit eos pharao ad inuicem super facies eorum et induxit os ad os super labia eorum et osculati sunt ad inuicem. Et postea fecit pharao nupcias et cenam magnam ultra septem dies et uocauit omnes principes egypti et omnes reges gentium et predicauit uniuerse terre egypti dicens: Omnis homo qui fecerit opus in diebus nupciarum ioseph et aseneth morte moriatur. Et factum est postea intrauit ioseph ad aseneth et concepit aseneth de ioseph et peperit manassen et effraim in domo ioseph.

Peccaui domine peccaui in conspectu tuo multum peccaui. Ego aseneth filia putipharis sacerdotis heliopoleos. Peccaui domine peccaui in conspectu tuo multum peccaui. Ego eram uilissima in domo patris mei et eram uirgo elata et superba. Peccaui domine peccaui ut supra. Et colui deos quorum non est numerus et comedi panes de sacrificiis eorum. Peccaui. Panem suffocatum comedi et calicem defectionis potaui ex mensa pestilencie. Peccaui. Et nesciui dominum deum celi neque speraui in altissimo deo uiui. Peccaui. Quia confidens glorie mee speraui et super pulchritudine mea fui elata et superba. Peccaui. Et eram despiciens omnes homines terre et non erat uir qui posset